

proprietatem, solo in diem vitæ suæ deducto usufructu, reliquis ejusdem matrimonii liberis reservare debeat. Dict. leg. 3, cod. *De secund. nupt.* Vide tamen Mæstert., *De secund. nupt.*, quæst. 27, et plur. sequent., qui probe discutit, quid Justinianus circa duas hasce pœnas per Novellas suas immutaverit. (53. Vide quoque eundem q. 44, et plur. sequent., qui de aliis pœnis disserit, tum examinat, an aliquibus in casibus eas evitet mulier.

(56. Nostrum autem est hic tantummodo examinare, an jure canonico in c. penult. et ult., *De secund. nupt.*, omnes pœnæ, de quibus hactenus locuti sumus, cessaverint?

(57. Non ignoro plures in ea esse sententia, ut omnes prædictæ pœnæ a jure ca-

nonico sublatae sint. Confer Scipion. Gentil., *De secund. nupt.*, c. 18. Ex aliorum vero sententia sublata a jure canonico sunt pœnæ in odium tantummodo secundarum nuptiarum introductæ, non item illæ, quæ in favorem liberorum primi matrimonii sunt statuta. Peregrin., *De jur. fisci*, l. III, tit. 15, n. 3; Anton. Matth. *De secund. nupt.*, disput. 6, per tot.

(58. At mihi semper arrisit opinio Hunnii ad Treuttler. *Selectar. disp.*, vol. I, disp. 8, thes. 5, litt. B., tenentis, solam infamiæ pœnam, non item cæteras pœnas jus canonicum sustulisse. Confer omnino tum loco citato, tum clarissimum P. Girald. in *Addit. ad Maschal. instit. canon.*, tom. II, pag. 677, vol. I.



OBEDIENTIA

Vid. verb. VOTUM, art. 2 a n. 10 ad 24.

OBLATI MONASTERIORUM.

* Oblati, et qui donati appellantur, quamvis non sint religiosi, si tamen bona sua, ne minima quidem parte excepta, quoad proprietatem, et usufructum sibi non retineant, sed transtulerint in monasterium, sunt personæ ecclesiasticæ, gaudent privilegio

fori, et immunitate ab exactionibus sæcularibus. Verum, ut subtrahantur ab jurisdictione episcopi, requiritur, ut actu inserviant suæ religioni, ut late docet Benedictus XIV, *De synodo diocæs.*, lib. VI, c. 3.

OBLATIONES.

SUMMARIUM.

1. Oblationes dupliciter sumi possunt, scilicet large, seu improprie, et stricte, seu proprie. — 2. Oblationes large, seu improprie sumptæ quæ sint? — 3. Oblationes stricte, et proprie sumptæ quæ sint? — 4. Harum oblationum tres sunt species et assignantur. — 5. Oblationum usus cœpit ab origine mundi, et semper duravit. — 6. Oblationes non debentur ex præcepto, nisi in quatuor casibus. — 7. Assignatur primus casus. — 8. Assignatur secundus casus. — 9. Assignatur tertius casus. — 10. Assignatur quartus casus. — 11. Ad hoc, ut consuetudo faciendi oblationes obliget, duo præcipue requiruntur, et assignantur. — 12. Si dictis duobus requisitis concurrentibus ad consuetudinem faciendi oblationes, populus ulterius eas facere recusaret, posset, et deberet per ordinariam loci ad eas continuandas compelli, etiam per excommunicationem, si opus foret. — 13. Oblationes omnes factæ intra ecclesiam parochialem, seu extra ipsam in quocunque loco sito intra limites parochiæ, de jure communi spectant ad parochum loci, nisi aliud habeat legitima loci consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione, aut voluntate. — 14. Unde si alicubi legitima consuetudo habeat, ut oblationes non ipsi parochi, sed ecclesiæ, vel alii pio loco, seu piæ causæ applicentur, tunc sunt applicandæ secundum talem consuetudinem. — 15. Item supradictis locis, et causis piis applicari debent oblationes, quando sufficienter constat talem esse intentionem, et voluntatem offerentium. — 16. Hinc oblationes, quæ fiunt oratoriis, capellis, aut aliis locis intra, vel extra ecclesiam, ubi aliquæ imagines miraculosæ depictæ, vel sculptæ existunt, non spectant ad parochum, ad quem hisce temporibus spectant solæ oblationes, quæ in ecclesia sub missis ad altare fiunt, et quæ pro administratione sacramentorum, pro be-

nedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro exsequiis et sepulturis, aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, consuetudine, et intentione offerentium reliquis ferme alias oblationes ecclesiis ipsis, capellis, altaribus, aut aliis certis finibus applicante. — 17. Administratio tamen similibus oblationum adhuc spectat ad parochum. — 18. Nisi tamen ex legitima consuetudine spectet ad laicos. — 19. Unde confraternitates laicorum ex consuetudine possunt recipere, et administrare oblationes, dummodo laici nihil sibi applicent, sed in pios usus totum convertant. — 20. Oblationes factæ imagini depictæ in pariete domus alicujus personæ private, non spectant ad ipsam privatam personam, sed ad propriam parochiam. — 21. Nisi tamen offerens obtulisset contemplatione domini domus. — 22. Oblationes, quæ fiunt tempore jubilæi, vel anno sancto in ecclesia cathedrali, seu imaginibus intra ecclesiam et parochiam existentibus spectant ad archiepiscopum seu parochum ejusdem ecclesiæ, et non ad episcopum. — 23. Si autem loca, ubi sunt tales imagines, non sint intra fines alicujus parochiæ, spectant integre ad episcopum. — 24. Intellige tamen quoad omnia supradicta, nisi aliud habeat legitima loci consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione, et voluntate. — 25. Oblationes, quæ fiunt in ecclesiis regularium, acquiruntur monasterio pro religiosis ibi servientibus. — 26. Oblationes, et elemosynæ possunt a regularibus recipi inter missarum solemnias. — 27. Parochi in diebus festis possunt post offertorium in medio altaris vertere se ad populum, et invitando ad oblationes, manipulum, vel aliud præbere deosculandum offerentibus; at aliis sacerdotibus id non licet. — 28. Parochi, stante consuetudine, possunt recedere ab altari post offertorium, et ad infimum locum ecclesiæ accedere ad recipiendas oblationes mulierum

inibi existentium, separatim a maribus. — 29. Sacerdotes novi non prohibentur in suis primis missis post offertorium in medio altaris ad populum se convertere, et oblationes accipere a sponte dantibus, dummodo non discedant ab altari. — 30. Tales oblationes factæ novis sacerdotibus quærentur ipsis, et non parochi. — 31. In materia oblationum attendenda est semper legitima locorum consuetudo, et intentio, seu voluntas offerentium. — 32. Oblatio major in alienatione honorum ecclesiasticorum semper recipitur, quando actus non est perfectus. — 33. Oblatio major habet locum in re vendita in concursu creditorum. — 34. Oblatio major in casu quo habet locum in venditionibus, non requiritur, ut sit in sexta parte, prout in terminis lætionis, sed sufficit, ut sit in aliqua quantitate excludente minimam. — 35. Oblatio major nunquam admittitur post perfectum actum venditionis. — 36. Et quando dicitur actus perfectus? — 37. Oblationis novæ pri-

(1. Oblationes dupliciter sumi possunt, scilicet large, seu improprie, et stricte, seu proprie. *Communis.* Oblationes large, seu improprie sumptæ important omnes actiones per quas quæcunque res ad divinum cultum exhibentur, seu offeruntur, ut explicant Sotus, *De justitia*, lib. IX, quæst. 3, art. 1; Barbosa, lib. III *Juris eccles. univers.*, cap. 23, n. 1; *De officio et potest. parochi*, part. III, cap. 24 et alii. (2. Et sic sub nomine oblationum veniunt etiam decimæ et primitiæ, ut in specie advertit Silvester in *Summa*, verb. *Decima*, n. 2, et Barbosa, *loc. cit.* Et de decimis patet ex *Genes. XVIII*, ibi: *Decimas offeram tibi*; et *Numer. XVIII*, ibi: *Decimarum oblationem*. Et de primitiis patet *Exodi XXXIV*, ibi: *Primitias frugum terræ tuæ offeres*; et *Leviticus II*, ibi: *Primitias tantum eorum offeretis*. (3. Oblationes stricte et proprie sumptæ dicuntur res illæ, quas fideles religionis intuitu immediate offerunt Deo, ut deserviant, vel ad usum Ecclesiæ, vel ad usum ministrorum, juxta illud *Matthæi V*, ibi: *Si ergo offers munus tuum ad altare*; et *Deuteronomio XXIII*, ibi: *Non offeres mercedem*; et *Malachiæ I*, ibi: *Si offeratis*: sive res sint mobiles, sive immobiles, sive testamento legentur, sive aliter donentur; arg. c. *Qui oblationes 10*, et c. *Clerici 11*, caus. 13, quæst. 2. Sic Mare. Socin., in *Tract. de oblationibus*, libel. 1; Troil. Malvet., in simili tractatu, fere per tot.; Monet., *De decimis*, cap. 2, n. 9; Galgan., *De jure publico*, lib. III, tit. 53, n. 1; Barbosa, *loc. cit.*, et alii passim.

(4. Unde harum oblationum tres sunt species. Prima dicitur donatio rei inter vivos facta Deo et Ecclesiæ; arg. cap. 1, *Indigne 21*, caus. 12, quæst. 2. Secunda dicitur

(123) Istæ potissimum oblationes sunt, quæ ab Ecclesiæ primordiis ad omnes gentes propagatæ sunt, panis, et vinum, quæ tantum elementa proprie ad sacrificium pertinebant. Hinc diaconi atque subdiaconi ubi ea collegerant, statim ad altare deterebant, Deo per episcopum offerenda; ita tamen ut panis, ac vini ea tantum pars ad eucharistiam asservaretur, quæ astantibus fidelibus communicandis satis foret; cætera vero de altari per eosdem diaconos auferrentur, fidelibus item, atque clero distribuenda. (124) Inter veterum oblationes celebrantur præter oleum et ceram, mel, lac, thus, uvæ, frumenta, quæ tamen non ubique omnia, neque uno temporis vestigio, sed sensu, ut altari offerrentur, permissa.

vilegium post extinctam candelam conceditur minori, eoque uti potest etiam Ecclesia. — 38. Oblatio major quando admittitur in venditionibus honorum Ecclesiæ, semper prius emptor habet prælationem pro eodem pretio. — 39. Oblatio major admittitur, etiamsi fuerit initum instrumentum venditio: is cum reservatione beneficij Apostolici, donec hoc subsequatur. — 40. Oblatio major admittitur, antequam executioni demandet beneficium Apostolicum. — 41. Oblatio major habet locum obtento beneficio Apostolico pro certo pretio ad favorem determinatæ personæ ante stipulationem instrumenti. — 42. Oblator secundus, quando præfertur in emptione rei ecclesiasticæ, tenetur reficere expensas primo emptori pro impetrato beneficio, illiusque executione. — 43. Quædam alia novissima referuntur ad n. 48. — 49. Subnect. *Addit. ex aliena manu* ad n. 51.)

donatio causa mortis, quæ fit in testamento pro animæ redemptione; arg. cit. cap. *Indigne*. Tertia dicitur usualis, et est illa quam faciunt fideles offerendo aliquas suas res in Ecclesia ad altare, aut in alio Ecclesiæ loco, aut etiam extra Ecclesiam ad imaginem miraculosam, vel devotam, et hujusmodi, prout ad longum refertur in cap. *Cum inter 29*, *De verbor. significat.*, in cujus summario sic præcise habetur: « Oblationis nomine intelligitur, quidquid offertur Ecclesiæ, quocunque modo in missa, vel extra, et in ecclesia, vel extra. »

(5. Oblationum usus cœpit ab origine mundi, tempore Cain et Abel; *Genes. IV*, ibi: *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum*. Et deinde tempore Noe; *Genes. VIII*, ibi: *Edificavit autem Noe altare Domino: et tollens de cunctis pecoribus et volucris mundis, obtulit holocausta super altare*. Et postea tempore Moysis, *Numer. VII*, ibi: *Obtulerunt principes Israel, et capita familiarum, qui erant per singulas tribus, præfectique eorum, qui numerati fuerant, munera coram Domino, etc.*, et sæpe sæpius aliis temporibus, ut patet in toto Veteri Testamento et etiam in Novo, ubi *Matth. II*, magi obtulerunt ei munera aurum, thus et myrrham; et sic in lege gratiæ adest antiquissimus usus offerendi in altari vel ecclesia tempore missæ panem, vinum (123), oleum, ceram et alia hujusmodi, ut constat ex canonibus sextæ synodi; et in canone 28 Trullano declaratur, qua ratione possint fructus alicui offerri (124).

(6. Oblationes non debentur ex præcepto,

Sic nonnullæ harum oblationum canone Apost. 4, memorantur; contra can. 3, mellis, lactis, sicera, volatilium, aut animalium quorundam, sive leguminum oblationes vitæ fuerant. Alia tamen super his disciplina utebantur Africani, alia Galli, ut notat Selvaggius, *Antiquit. Christian.*, lib. II, cap. 1, § 6. Sed de his oblationibus consule, si placet, Francis i Antonii Zaccaria nupperime vulgatum *Onomasticon rituale*; præsertim vero P. Francisci de Berlandis c Clericis Regularibus *De oblationibus ad altare communibus et peculiaribus* luculentissimam dissertationem historico-theologicam an. 1745, Venetiis e Balleaniano typographio emissam.

nisi in quatuor casibus enumeratis a S. Thoma 2-2, q. 36, art. 1; Barbosa, *loc. cit.*, n. 10; Reiffenstuel, lib. III, *Decret.*, tit. 30, a n. 183, et ab aliis passim. (7. Primus casus est, cum debentur per modum census, aut pensionis, seu conventionis antea factæ cum Ecclesia, seu ejus ministris, quia omne pactum servandum est; l. *Hujus edicti* 1, ff. *De pactis*, cap. *Antigonus* 1, et cap. *Qualiter* 3, *De pactis*, cum similibus. (8. Secundus casus est, cum debentur ex testamento, legato, voto, vel donatione inter vivos; vota enim realia et legata adimpleri debent etiam per successores; cap. *Licet* 6, *De voto* et voti redemptione; l. *Si quis* 2, *De pollicitationibus*, cum similibus, sicuti et omnino servari debent ultimæ testamentariæ voluntates; cap. *Ultima voluntas* 4, caus. 13, quæst. 2, cum concordantibus, nec revocari possunt donationes inter vivos sine legitima causa; l. *Si donationem* 5, et leg. *Generaliter sancimus* 10, *De revocandis donationibus*.

(9. Tertius casus est, cum ministri Ecclesiæ non habent congruam sustentationem: tenentur enim parochiani ex præcepto naturali, et divino ad exhibendas oblationes, quando presbyteri indigentes sunt, nec habent unde possint sibi necessaria ministrare: quia, ex quo ministrant populo spiritualia, merentur ab eo temporalia; cap. *Si Episcopus* 6, *De offic. ordinar.*, in 6, et *Math.* x, 10, dicitur expresse: *Dignus est enim operarius cibo suo*; et *Lucæ* x, 7: *Dignus est enim operarius mercede sua*; et *I Corinth.*, ix, 13, expresse habetur: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant?* Unde cap. *Cum secundum* 16, *De præbendis*, expresse dicitur: « Cum secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debeat de altari, et qui ad onus eligitur, repelli non debeat mercede, patet a simili, ut clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur, ut ipsa nominis ratio persuadet. » (10. Quartus casus est, cum alicubi longa consuetudine introductum habetur, quod certis anni temporibus et festivitibus a populo oblationes fiant; cap. *Omnis Christianus* 69, dist. 1, *De consecrat.*, ibi: « Omnis Christianus procuret ad missarum solemniam aliquid Deo offerre et ducere ad memoriam, quod Deus Moysi dixit: *non apparebis in conspectu meo vacuus*; etenim in collectis SS. Patrum liquido apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu SS. Patrum debent, » ex quibus ultimis verbis clare patet ex usu et consuetudine oriri talem obligationem, et cap. *Ad Apostolicam* 42, *De Simonia*, ubi *laudabiles consuetudines* aliquid dandi et offerendi *ex devotione fidelium introductæ*, præcipiuntur observari, et sic cum S. Thoma et aliis supracitatis, n. 6, tenent communiter doctores.

(11. Ad hoc autem, ut consuetudo faciendi oblationes obliget, duo præcipue requiruntur. Primo, ut longo tempore vigeat talis consuetudo, videlicet saltem per decem annos, arg. § 1, *Institut. de usu cap.* ubi de-

cem anni longum tempus efficere dicuntur. Unde quando tanto tempore populus ex devotione perseveravit facere dictas oblationes, præsumitur ad eas se voluntarie obligasse: quamvis enim hæc consuetudo a principio fuerit voluntaria et minime obligatoria, elapso decennio, habet vim legis et obligat; quia acceptata est et præscripta ut obligatoria. Gutierrez, *Canonicar. quæst.* lib. II, cap. 21, n. 140 et seq.; Reiffenstuel, lib. III *Decret.*, tit. 30, n. 185; Barbosa, *De offic. et potest. paroch.*, part. III, cap. 42, n. 12, et lib. II *Juris eccl. univers.*, cap. 23, n. 12, cum aliis ibi citatis, arg. cap. *Ad Apostolicam* 42, *De simonia*. Secundo requiritur, ut totus populus, vel saltem major pars observaverit dictam consuetudinem: Gutierrez, *loc. cit.*, n. 150 et sequent.; Navarrus, in *Manual.*, cap. 13, n. 19; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 186; Barbosa, *loc. cit.*, et alii.

(12. Unde, si, dictis duobus requisitis concurrentibus ad consuetudinem faciendi oblationes, populus ulterius eas facere recusaret posset per ordinarium loci ad eas continuandas compelli, etiam per excommunicationem, si opus foret. Covarruvias, *Variar. resol.*, lib. I, cap. 17, n. 3; Gutierrez, *loc. cit.*, Barbosa, *loc. cit.*, n. 10; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 189, et alii communiter ita intelligentes glossam in c. *Statuimus* 53, caus. 16, qu. 1, ubi dicitur populum via excommunicationis esse compellendum ad faciendas consuetas oblationes, arg. cit. c. *Ad Apostolicam* 42, *De Simonia*, et cap. *Omnis Christianus* 69, dist. 1, *De consecrat.*

(13. Oblationes omnes factæ intra Ecclesiam parochialem, seu extra ipsam in quocunque loco sito intra limites parochiæ, de jure communi spectant ad parochum loci, nisi aliud habeat loci legitima consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione, et voluntate. *Communis* cum Barbosa *locis citatis*, a n. 22; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 190; Fagnan., in c. *Pastoralis* 9, n. 16, *De his quæ fiunt a prælatis*; Rota, *Recent. dec.*, part. I, dec. 256, n. 1, et dec. 408, n. 1; part. V, tom. I, dec. 461, n. 9, et dec. 402, n. 10; part. XIX, tom. I, dec. 234, n. 2 et 3, et sæpe alibi, arg. cit. cap. *Pastoralis* 9, *De his quæ fiunt a prælatis*, ubi omnes parochianorum proventus parochiali Ecclesiæ, et ejus ministro attribuuntur; c. *Ex transmissa* 10, *De præscrip.*; cap. *Quia sacerdotes* 13, et c. *Sanctorum* 14, caus. 10, q. 2. Et ratio est, quia nisi aliter constet de voluntate, et intentione offerentis, oblationes fieri censentur parochi ratione curæ animarum, administrationis sacramentorum et aliorum divinarum; arg. cit. c. *Quia sacerdotes* 13, caus. 20, q. 2; Rota, *Rec. dec.*, part. VI, t. II, d. 402, n. 11.

(14. Notanter autem dicitur in conclusione: « Nisi aliud habeat legitima loci consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione, et voluntate; » quia si alicubi legitima consuetudo habeat ut oblationes non ipsi parochi, sed ecclesiæ, vel alii pio loco, seu causæ piæ applicentur, v. g. ad comparanda ecclesiastica ornamenta, ad

construendam, vel reparandam fabricam ecclesiæ, seu capellæ, et hujusmodi, seu pro commodo alterius sacerdotis celebrantis, seu ministri, tunc oblationes sunt applicandæ juxta talem consuetudinem; argum. cap. *Cum tanto* 11, *De consuetudine*, et cap. *Cum inter* 29, *De verb. significat.* Et sic tenet communis doctorum, teste Fagnano, *loc. cit.*, n. 36. (15. Et a fortiori non parochi, sed supradictis locis, et causis piis applicari debent oblationes, quando sufficienter constat talem esse intentionem, et voluntatem offerentium; Rota, p. V, t. I, dec. 37, n. 8, ubi expresse dicit, oblationes, quæ præstantur a fidelibus ad certum finem, et usum, nullo modo spectare ad parochum, sed eorum voluntatem esse servandam; et sic tenet communissima doctorum, arg. l. *In re mandata* 21, cod. *Mandati*.

(16. Hinc oblationes quæ fiunt oratorii, capellis, aut aliis locis intra, vel extra ecclesiam, ubi aliquæ imagines miraculosæ depictæ, vel sculptæ existunt, non spectant ad parochum, sed ad oratorium ipsum, seu capellam pro construenda in honorem imaginis ampliori et splendidiore ecclesiæ, seu capellæ. Consuetudo enim pene universalis, et intentio, seu voluntas dantium, dicto fini, et non parochi tales oblationes attribuit, ut recte observant card. de Luca, *De decimis*, disc. 19, num. 11; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 193, et alii passim ex jam communi praxi docentes, quod hisce temporibus solæ oblationes, quæ in ecclesia sub missis ad altare fiunt, et quæ pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis, aut mulieribus post partum, pro exsequiis, et sepulturis, aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectent, consuetudine, et intentione offerentium reliquis ferme omnes alias oblationes ecclesiis ipsis, capellis, altaribus, aut aliis certis finibus applicante, ut recte observant Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 193; Van-Espen, in *Jur. ecclesiast. univers.*, part. II, tit. 33, c. 10, cum aliis ibi citatis.

(17. Administratio tamen similium oblationum spectat ad parochum, ut scilicet eas ad debitum finem juxta consuetudinem loci, aut intentionem offerentium applicet. Rota, part. V, tom. I, dec. 37, num. 9 et seq.; Fagnan., in cit. cap. *Pastoralis*, num. 39, Abbas, *ibid.*, num. 2; Barbosa, *loc. cit.*, num. 194; Van-Espen., *loc. cit.*, num. 24, et alii passim.

(18. Nisi tamen ex longæva consuetudine talis administratio ad laicos ab initio legitima auctoritate ad id deputatos pertineat, quia in tali casu, uti de facto pluribus in locis id praxis docet, possunt laici, vel soli, vel una cum parochi, juxta consuetudinem, tales oblationes licite administrare, cum talis administratio non sit alicujus juris spiritualis, sed rei mere temporalis; sicut enim laici tales oblationes, ac reliquas ecclesiæ suppellectiles custodire, ita et easdem administrare, ac pro debito usu applicare possunt; Fagnan., in cit. cap. *Pastoralis*, num. 20 et seq.; Van-Espen., *loc. cit.*;

Reiffenstuel, *loc. cit.*; card. de Luca., lib. XIV, part. IV *Miscellan. eccl.*, disc. 36, per tot., ubi pluribus adductis id ad longum demonstrat, et consuetudinem admittendam esse in materia oblationum docet de communi Barbosa, *loc. cit.*, num. 31. (19. Unde confraternitates laicorum ex consuetudine possunt recipere et administrare oblationes, dummodo laici nihil sibi applicent, sed in pios usus totum convertant. Amostaz., *De casibus piis*, tom. I, lib. IV, cap. 1, num. 11, cum aliis ibi citatis, card. de Luca, *loc. cit.*, num. 12; Fagnan., *loc. cit.*, num. 22. Decius, consil. 148, num. 3, vers. *Sed tamen in casu proposito*; Ferret., consil. 143, n. 6, et alii. *Vide verb. CONFRA-TERNITAS*, art. 3, num. 23 et 24.

(20. Oblationes factæ imagini depictæ in pariete domus alicujus personæ privatæ spectant ad parochialem, intra cujus fines situs est paries; non vero ad ipsam personam privatam dicti parietis dominam. Amostaz., *loc. cit.*, num. 11; Marescottus, *Variar.*, lib. II, cap. 42, num. 4; Barbosa, *loc. cit.*, num. 26; Hieronymus Carat., in *Opuscul. de jurib. parochi*, tit. 3, cap. 11; Fagnan., *loc. cit.*, n. 18, cum pluribus aliis. (21. Nisi tamen offerens obtulisset contemplatione domini domus, puta si talis esset pauper, vel offerens sciret dominum domus ex consuetudine convertere oblationes in suas necessitates, vel in pios usus, ut advertunt Hieronymus Carat. et Barbosa, *loc. cit.*, addentes non obstare cap. *Hanc consuetudinem* 13, caus. 10, qu. 1, quia loquitur de oblatiis in ecclesia, non in loco profano.

(22. Oblationes, quæ fiunt tempore jubilæi, vel anno sancto in ecclesia cathedrali, seu imaginibus intra ecclesiam et parochiam existentibus, spectant ad archipresbyterum ejusdem ecclesiæ, private ad episcopum; cum enim archipresbyter habeat curam animarum et sacramentorum administrationem, habet per consequens de jure communi fundatam intentionem in omnibus oblationibus: Cap. *Pastoralis* 9, *De his quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli*; cap. *Quoniam* 13, *De decimis*; cap. *Dilectus* 18, *De offic. ordinar.*, cum concordantibus; adeoque oblationes ad ipsum archipresbyterum, seu parochum pertinent, et non ad episcopum. Sic tenent Amostaz., *loc. cit.*, n. 13, cum pluribus ibi citatis; Barbosa, *loc. cit.*, n. 27 et 29, cum aliis pluribus; Marian. Socin., in tract. *De oblat.*, libell. 18, num. 9, testans de communi, Fagnan., *loc. cit.*, n. 18, affirmans hanc sententiam esse receptissimam, et sic sæpius censuit Rota, et signanter part. I *Recentior. dec.*, dec. 256, et par. I, dec. 37 n. 2, ubi referuntur ita etiam censuisse sacram congregationem Concilii in una *Cavensi*. (23. Si autem loca, ubi sunt depictæ imagines, non sunt intra fines alicujus parochiæ, aut incertum sit de cujus parochia existant, eo quod limites non sint distincti, tunc oblationes integre pertinent ad episcopum diocesanum, per textum in cap. *Quoniam* 13, *De decimis*, uti ibi notant communiter doctores,